



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

Caput. I. Vnde Lex dicatur? quid sit? quotuplex? quæ ad eam requirantur:
quis sit finis & quis eam condere possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256



N V C L E I

TRACTATUS PRAC- TICI DE LEGIBUS.

C A P U T I.

*Vnde LEX dicatur, quid sit? Quotuplex? Qua
ad eam requirantur? Quis ejus sit finis?
Et quis eam condere possit.*

LEGEM à ligando dictam, quod proprius ejus sit effectus, ligare, seu obligare, docet S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. S. Isidorus vero lib 2. Etymol: cap. 10. à legendo derivat, quod debeat esse scripta, & ideo legenda. S. Augustinus in q. ex novo Testamento q. 15, ab eligendo dictam putat, quod unicuique ostendat, quid sibi eligendum.

Definitur LEX à S. Thoma 1. 2. q. 9. art. 4. *Quod sit Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata. Vel juxta Sotum de Jure & Justitia Est iusta ordinatio Superioris publicam haben-*

A

116

is potestatem, cum voluntate obligandi Subditos, ad aliquid agendum, vel non agendum. In qua definitione *justa ordinatio* & *publica potestas* loco generis ponuntur. Reliqua vero, adduntur loco differentiae, & in illis, virtute includuntur, omnes conditiones LEGIS.

Dividitur *Lex*, in *aternam*, *naturalem*, *Gentium* & *Positivam*. *Hac* in *divinam veterem* & *novam*, & *Humanam*. *Hac* de novo in *Ecclesiasticam* & *Civilem*. de quibus infra latius dicetur.

De ratione verò, & essentia omnium LEGUM est, ut præcipiat *justa*, & *rationabilia*. Secundo requiritur, ut *Religioni* congruat. Tertio. Quod *Disciplinae* conveniat. Quarto ut sit *possibilis* & *universalis*. Quinto ut *pro bono communi* feratur. Ita S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 2. Cajetanus, Soto, & omnes Canonistæ & Juristæ.

Definire autem, quando in his conditionibus, sit defectus *substantialis*: ex prudenti pendet *judicio*, quod oportet, esse *valde certum*, ut ex hoc capite, *LEX* possit *censeri nulla*; nam si res sit *dubia*, præsupponendum est, pro *Legislatore*. Ita S. Augustinus 22. contra Faustinum cap. 75. & cap. quid culpatur 23 q. 1.

Finis propinquus LEGIS est *coercere*
humana-

humanam audaciam, & frænare nocendi facultatem, aut facere homines bonos, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 92. art. 1. Remotus vero finis LEGIS est bonum commune.

Causa efficiens LEGIS, est Superior, publicam habens potestatem, in subditos, quibus illa LEX imponitur. Reginaldus in praxi lib. 13. cap. 3. unde ad valorem & substantiam LEGIS, tantummodo est necessarium quod res illa, de qua fertur, sit utilis, & conveniens, ad bonum ipsius Communitatis, cum circumstantiis, prout fertur, ac proinde, bonum commune, debet esse intentum, intentione operis, ita scilicet, quod ipsum opus LEGIS, sit referibile ac conducens, ad commune bonum, quod non præstatorei, à Legislatore, aut ejus intentione, sed habet hoc ipso quo utile est, ad bonum Communitatis promovendum. Quare etiam si Legislator, ex odio aut alio pravo LEGEM ferret, subsisteret tamen, modo simul in commune bonum cedat, quia illa prava intentio, est mere personalis, & non redundat in actum, quatenus ad communitatem spectat, quia, quod ex libidine, Superiores præcipiunt, hoc absque libidine & mala passione possunt Inferiores exequi & adimplere. Sed si absque justâ causâ, quæ in bonum commune tendat, sub specie

cie communis LEGIS, procuraret Superior
damnum alicujus Tertij; tunc clara est Inju-
stitia, neque LEX vera censi debet. Unde in
tali casu liceret ab ea appellare, vel excep-
tionem doli, contra illam ponere, ut cum
multis alijs docet. Bartolus in LEGE omnes
populi. ff. de Justitia & Jure.

Condere vero LEGEM, pertinet vel ad
totam multitudinem, vel ad personam pub-
licam, quæ totius multitudinis curam habet:
quia potestas condendi LEGEM, debet ha-
bere conjunctam potestatem coactivam, ad
LEGIS observationem, puniendo scilicet
contumaces & transgressores, ut hic indi-
cat D. Thomas quæst: 90. ad secundum. Atq;
potestatem coactivam, nullus privatus habet
quia per imparem, multo minus in multitu-
dinem, potest habere coactionem aut impe-
rium. Ergo &c.

Quod autem dicit Apostolus, quod Gen-
tes, quæ LEGEM non habent, naturaliter ea
quæ LEGIS sunt, faciant; intelligendum est
quod gentes dicantur sibi ipsi LEX; non
quod singuli ponant sibi, & minus multitudi-
ni illam LEGEM, sed, quod sine LEGE po-
sitiva, exterius ipsis tradita, agnoscerent LE-
GEM, Divinitus insculptam cordibus suis. Il-
la autem LEX non erat ab ipsis tanquam
Aucto.

Auctoribus, sed ab ipso Deo, qui cum natura simul **L E G E M** hanc, mentibus nostris inseruit. Fuit tamen, in illis, tanquam subditis, qui debebant juxta illam se gubernare.

Patent hæc, ex sequentibus, dum additur, qui ostendunt opus **L E G I S**, scriptum in cordibus suis, Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, quæ scilicet redarguebat illos contra **L E G E M** agere, quando suis cupiditatibus & passionibus indulgebant.

Accedit, quod dictamen rationis cujusq; particularis, non possit obligare communitatem, unde licet, quatenus propriam personam dirigit, dicatur esse instar privatæ **L E G I S**, non tamen potest vocari simpliciter **L E X**, quia neque Communitatem respicit, ad eam dirigendam, neque ad commune bonum refertur.

Unde ad **L E G E M** ferendam, non sufficit potestas œconomica, quæ versatur, inter partes, alicujus communitatis imperfectæ, ut circa domesticos alicujus Familiæ, sed etiam requiritur Potestas Politica, quæ dicitur Jurisdictionis, per se primo, respiciens communitatem perfectam, ejusque partes, ut sit capax gubernationis politicæ. ut communiter tradunt Canonistæ in Capit. cum accessisset, de Constitutionibus.

Hæc vero Potestas, duobus modis, aliquibus potest convenire, quibusdam proxime & immediate, ab ipso Deo; cum enim ipse, omnium sit naturaliter supremus Dominus, potest hanc suam potestatem, alijs communicare, & per participationem, in illos transferre. Sic in veteri Testamento Moyses, David, & alij immediate à Deo acceperunt potestatem, regendi Populum Israëlitarum. Similiter & jam in novo Testamento, accipit Potestatem suam summus Pontifex, non ab Electoribus, neque ab ipsa Ecclesia; sed immediate à Christo Domino.

Secundo autem, obtingit Potestas, aliquibus ab ipsa communitate, quia omnis communitas perfecta, tanquam corpus quoddam rationale, & liberum, habet naturaliter Jus, regendi seipsum, unde etiam, potest communi consensu, hoc jus, in unum aliquem, vel personaliter tantum, vel in illum & ejus posterum transferre, illique quasi vices suas delegare, idque convenienter, cum sit admodum difficile, quod populus totus, semper conveniat, ad consultandum, de necessarijs, ad commune bonum, & ad LEGES oportunas condendas. Unde non est contra naturam rationalem, sed potius ipsi conforme est, ejusque ordinem perficiens, quod quidam

dam præfint & regant, alij subsint, & regantur: ut facilius vitetur, in humano genere omnis confusio. Wiggers in 1. 2. qu. 90. articulo 3.

CAPUT II.

Vtrum promulgatio sit de ratione LEGIS & qualis sufficiat?

DE ratione LEGIS est Promulgatio. Ita S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. & inde habet suam virtutem; quia LEX, est regula quædam, & mensura moraliter operandi: sed regula & mensura non possunt fungi officio suo, nisi applicentur: Ergo, ut LEX habeat virtutem suam, debet quoque applicari. Applicatio autem LEGIS, fit per promulgationem.

Quod vero attinet, ad qualitatem & modum Promulgationis, eam non omnino uniformiter se habent, quo ad omnes LEGES, nam LEX Æterna, & LEX naturalis, censentur promulgari, per lumen Rationis, quo menti Deus indidit lumen naturæ & sic quasi in habitu, LEGES has, Homini promulgavit, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. nam sufficiens principium, eas cognoscendi, dedit.

Perficitur autem ista Promulgatio, per

A 4 natu.